

D. F. F. D. S.

DISCURSUS INAUGURALIS

De

FABULIS PHILOSOPHORUM,

Quem

Divina adspirante Gratia,

*Adprobante Amplissima Facultate Philosophica in**Regia ad Auram Universitate,*

SUB MODERAMINE

Amplissimi atque Celeberrimi VIRI

Mag. HENRICI HASSEL,

Eloq. Prof. Reg. & Ordin.

Facult. Philos. h. t. Decani spectabilis

IN *παράστασι* HONORUM ACADEMICORUM*Cordatorum & recte sentientium estimatorum
censura sistit*

NICOLAUS L. TAMMELIN,

Ad diem Nonar; Junii Anni τῆς Χριστογονίας

MDCCXXXII.

*In Auditorio superiori & Maximo,
horis ab octava antemeridianis.*

A B O Æ,

Excud. Reg. Acad. Typogr. Joh. Kiämpe.

CONSPECTUS DISSERTATIONIS

- §. I. *Experientiam unicum esse fundamentum cognitionis humanae de existentibus affirmat.*
§. II. *Quid per Experientiam designatum velimus indigitat.*
§. III. *Mentem humanam experientia percipi asserit.*
§. IV. *In quantum cognitio Dei experientia nitatur ostendit.*
§. V. *Mundum experientia cognosci probat.*
§. VI. *Neglectum experientia, generalem esse causam fabularum Philosophicarum, statuit, addita pravia illarum descriptione.*
§. VII. *Exempla fabularum de mente humana adducit.*
§. VIII. *Exempla fabularum De Deo profert.*
§. IX. *Exempla fabularum de Mundo persequitur.*
§. X. *Ortum Philosophia fabulosa orientalius populis attribuit.*
§. XI. *Ab his illam ad Gracos transiisse contendit.*
§. XII. *Inde ad Romanos transmigrasse indicat.*
§. XIII. *Eandem, temporis successu, per Europam dispersam fuisse dicit, Exemplis id ulterius confirmans.*
§. XIV. *Inter causas particulariores Philosophia fabulosa primum locum ambitioni assignat.*
§. XV. *Secundum levitati ingenii humani eribuit.*
§. XVI. *Tertium defectui subsidiorum in scientia principia naturali vindicat.*
§. XVII. *Inconstantiam Philosophia fabularis demonstrat.*
§. XVIII. *Contra scientia experimentalis constantiam proponit.*
§. XIX. *Exiguam esse Philosophia fabularis usum in vita Civili innuit.*
§. XX. *Præsenti temporis gratulatur, quo scientia ex genuinis Principiis diligentius derivari ceperunt, tractationumque finem imponens.*



In Nomine Jesu!

§. I.

Mens quidem humana illis instructa est viribus, quibus veritates generales percipere, unam ex altera derivare, & plures iusto ordine disponere valet; quod, ut Methaphysicas jam prætereamus subtilitates, ex Arithmetica & Geometria, ac longa, quam hæ scientiæ exhibent, conclusionum serie, evidentissimum est; ad has quippe veritates inveniendas sola attentio, ad ipsam earum naturam, & mutuum, quibus junguntur, nexum, requiritur, nec ullo præterea fulcro nituntur; Et licet in his proficere cupientibus externa plerumque adjuncta inserviant, illis nihilominus certitudo earum superstruenda non est, quæ ex clara tantum ac distincta perceptione dependet: Cognitio tamen rerum
A par

particularium ideali t̄atum evidentiā adeo non absoluitur, ut si recte comparata erit reale in primis fundamentum præsupponat, quod aliud esse non potest, quam ipsa experientia.

§. II.

Per experientiam intelligimus non tantum observationem eorum, quæ sensus tam interni, quam externi nobis repræsentant, verum etiam accuratum observatorum examen, quod secundum illas institutum est regulas, quas vel ipsa ratio ostendit, vel usus & exercitatio suppeditat, vel ars ex utroque conflata subministrat. Nec enim dubium, quin scientiæ ex ratione tantum prognatæ, faciem præferant observationi, eandemque dirigant, prout æque certum est, inter observandum occurrere, quæ viam faciliorem juxta ac tutiorem rationi commonstrant. Mirum inter Philosophos dissidium, ubi nonnulli solam rationem ad quaslibet veritates investigandas sufficere dicunt, observatione ideo proscrip̄tâ, quod fallaci sensuum ministerio decipiatur; quidam sensualem perceptionem unicam veri naturam agnoscunt, rationem ad veritatem prorsus cali-

caligare affirmantes. Tanta vero est harum necessitas & tam arcta inter utramque conjunctio, ut neutra sine ope alterius suum faciat officium. Absq; rationis moderamine, observatio ne intelligi quidem potest, cæco prorsus impetu in erronea quolibet prolapsura. Ratio observatione destituta figmenta tantum progignet & umbras pro corpore captabit. Ubi vero mutuam tradunt operam & suas utraque vires intendit, vera demum ac mascula experientia inde exsurgit, ex qua tanquam unica scaturigine quidquid de rebus vere existentibus scientiæ Genus Humanum possidet, propullulat atque promanat.

§. III.

Omnis illa cognitio, quam de mente nostra, ejus naturâ, facultatibus, operationibus & variis operandi modis, habemus, observationi eorum, quæ intra suum ipsius sinum peraguntur, accepta refertur. Unde enim explorare vim intellectus, simplices ideas vel formantis, vel à sensibus oblatas contuentis, & cum aliis conferētis, nisi mens actu reflexo ad hæc sua negotia adverteret diligētius? Unde perciperemus, quo-

4
quomodo mens, deprehensâ duarum vel plurium
notionum convenientiâ, eas connectat, obser-
vatâ rursus earum cōtrarietate & repugnantîâ, se-
jungat atque separet, nisi eadem nos instrueret
attentio? Quæ foret via investigandi processum,
quo utimur, veritatem ex veritate, una vel
pluribus ratiocinando deducentes, si mens in se-
metipsam conversa, suum agendi modum non ani-
madverteret detegeretque? Nec denique aliter
discimus, quo artificio mens plures veritates mul-
tiplici consequentiarum partu propagatas, na-
turali quadam serie ordinet, quam ubi ad hæc
sua opera, ipsa intensiori oculo respectat. Sa-
pienti proinde consilio factum, quod recentio-
res, qui vitas hominum, ingenio & doctrina
præstantium, scripserunt, non solum inventa eo-
rum exposuerint, sed hoc insuper operam de-
derint, ut aliis constaret, quid illos primum in
hanc vel illam cogitationem deduxerit, quæ
frustra tentaverint, & quo demum modo suc-
cesserint destinata. Vires præterea ingenii hu-
mani non alii rectius æstimare valent, quam qui
scripta tam veterum quam recentiorum diligen-
ter pervolvunt, prima scientiarum incunabula ul-
tima

§
tima ex antiquitate repetunt, & incrementa e-
arum successiva sedulo expendunt. Clarior ad
huc lux adfulget, ubi eadem vestigia legentes
scientiam humanam inquirimus, prout ipsa pra-
xi operosa in variis artibus ad vitæ necessitatem
& ornatum directis sese exerit; quas parvis ex
initiiis ad præsentem perfectionis gradum pro-
vectas iusta attentione scrutantes, veri solidique
iudicii certissima inveniemus documenta. Quid
dicam de negotiis humanis, circa quæ omnis
& publica & privata prudentia occupatur? In
his eo magis ingenii nervos intendere solent
mortales, quo certius sibi persuadent, recte aut
secus agentes prospera vel adversa plerumque
comitari; quæ fida historicorum enarratione
suis cum causis & circumstantiis explicata, lucu-
lenter inprimis ostendunt, humana quousque sa-
gacitas progrediatur. Hi sunt fontes ex quibus
cognitionem intellectus humani derivare oportet,
quos ex unica experientiae scaturigine existere
vel mediocri utentibus attentione lucidè appare-
bit. Quod si ad alteram illam facultatem, qua
res diversas expetimus eligimusque, nos conver-
tamur, voluntatem nimirum, quæ de intelle-
ctu

6
Et diximus, hic quoque locum omnino habebunt. Ejus namque virtutes & vitia aperit intima illa sensatio, quæ nobis præsentissima, ut testis admodum idonea, animæ nostræ indicat operationes. Inter ejus virtutes palmaria est perennis illa propensio ad appetendum bonum, eademque, & quo ad extensionem ac intensiorem, in tantum prorsus interminabilis, in quantum nulla in re finita perfecte adquiescere potest; sed quæ ideo si recte ibi consulat, ad infinitum vel insita quadam vi sese exporrigit, vel frustraneo in aliis plenam felicitatem quærendi conamine lassâ, ad hunc tandem ceu rutissimum se recipit portum. Vitiarum teterrimum est philautia, omnium fere cupiditatum genetrix, in primis trium vitiorum cardinalium fecunda mater, ambitionis, nempe avaritiæ, & voluptatis, ex quibus plurima illa mala, quibus humana affligitur societas originem ducunt. Quemadmodum vires intellectus humani Historia illustrat, ita indolem voluntatis, eadem vitæ Magistra, actiones hominum bonas & malas commemorando exponit. Et quæ de voluntate humana traduntur, in tricas plerumque ac
inuti-

7
inutiles abeunt subtilitates, nisi ejus naturam pro diversitate ingeniorum multifariam variantem, accedentibus aliis causis propemodum infinitis, vel propria vel aliena manifestaverit experientia. Expensis, quæ jam de primariis hominum facultatibus adduximus, facile judicare licet, quid sentiendum sit de hisce, quæ illarum imperium merito agnoscere debent. Variæ quidem corporearum rerum species, vel sua sponte, vel de industria, à nobis provocatæ obveniunt, eorum, quæ sensus obijciunt simulacra, & quæ modo sine ulla commotione nobis obversantur, modo certos affectus comites habent: has tamen imagines, mens acutissimo foedere corpori unita, tanquam è specula observat. Vix ulla Philosophiæ pars magis hominum ingenia torfit, quam doctrina de affectibus, in quorum definitionibus ac divisionibus explicandis, vel numero determinando adeo sudarunt, ut pauci admodum hic inter se cõsentire deprehendantur: verum qui simplicem consulere experientiam, & juxta advertere voluerit, quibus de causis, & quomodo singuli eorum oriuntur, quid circa illos tam
animo

animo, quam corpore, eveniat, & quo pacto se-
dentur componanturque, illam de his scien-
tiam comparabit, ultra quam, an assurgere li-
ceat, iustissima dubitandi occasio subnasci vide-
tur. Quare etiam vetustissimi scriptores Chara-
cteristici, qui missis frustraneis speculationibus,
indolem humanam sola observatione inquisive-
runt, ea protulerunt, quæ ætatem ferre valent,
& aliorum inepte sedulam longe exsuperant sub-
tilitatem. Ut itaque copiosius argumentum
intra limites instituti concludam, hac brevitate
dicenda perstringere juvabit: Philosophi quidem
veteres ac recentiores mentis humanæ essentiam
singulari contentione investigarunt, suis quilibet
opinionibus & sententiis adblandientes, verum
non dum longius procedere licuit, nec spes est
in posterum ulterius deventuros fore, quam
quod sit natura, quæ cogitat, intelligit, vult,
sentit, imaginatur, affectus excitat recipitque,
in qua omnes actiones & passionis existunt,
quas in nobis ipsi advertimus & observamus.

§. IV.

Quemadmodum Deum nullo sensu, vel exte-
riori, vel interiori, immediate percipere
possumus.

9
possumus, & entis illius infiniti cognitio reale
aliquod fundamentum postulat, ex rebus crea-
tis illam derivandam esse quilibet facile judica-
bit. Quum autem mentis nostræ existentia, or-
dine philosophantibus, omnium primo nobis in-
notescat, ex illius attributis & actionibus ad
notitiam supremi entis est deveniendum. Has
ubi finitas esse juxta advertimus, quod existat
aliquod infinitum inde colligere primum est.
Nam finitum, sine præsupposito infinito, ne
cogitari quidem potest. Tum enim foret à se
ipso, adeoque infinitæ durationis, quod si rei
finitæ tribueretur, manifestam involveret con-
tradictionem. Unde adparet hominem habere
in sua ipsius mente sufficiens fundamentum, cui
cognitionem existentia Divinæ superstruere va-
let. Verum ubi ad mundum spectabilem se
convertit, quot in illo res contemplatur, tot
invenit Divinitatis vestigia. Mundum finitum
esse, sine prolixa argumentatione demonstrari
posse, non dubitamus. Singulæ enim partes &
majores & minores quoad magnitudinem &
vires operandi sunt determinatæ, adeoque fini-
tæ deprehenduntur. Quod autem ex finitis
non.

nonnisi finitum exurgere queat, per se evidens esse arbitramur. Hinc etiam ex ipsa finitate mundi, existentia infiniti auctoris certissime concluditur. Artificiofissima structura, & sapientissima partium dispositio, quam in minutissimis quoque, vel sagacissimi mortalium stupent, infinitam Creatoris sapientiam explicant. Subordinatio illa causarum continua, & omnium rerum ad universi & singulorum, quæ in illo comprehenduntur, conservationem conspiratio, bonitatem auctoris illustrat. Quid multis? omnes omnium ætatum Philosophi in hoc consentiunt, quod ex contemplatione mundi cognitio Dei sit petenda, Sacra idem pagina pluribus in locis confirmante. Ubi vero notitiam Dei experimentalem esse affirmamus, hoc non eodem modo accipiendum, ac de aliis rebus, quas experientia percipi statuimus. Illa enim scientia per observationem immediate adquiritur, hæc (de Deo nimirum) per cognitionem aliarum rerum experimentalem comparatur.

§. V.

PRobato, mundum esse finitum, unde sequi-

quitur eundem non existere à se, sed ab alio, ejus contingentia inde certissime evincitur, quæ non aliud volumus designatum, quam quod esse & non esse, & variis modis potuerit fabricari. Quare licet jam in mundo magna conspiciatur necessitas, id est constantia rerum naturalium in essentiis & operationibus suis; hoc tamen non impedit, quo minus ut liberam liberrimi Creatoris opus æstimari debeat. Quemadmodum Architectus vario artificio domum exstruere valet; Artifex diversa opus ratione efficere; & Conditor Civitatis hanc vel illam regiminis formam eligere, & varia introducere instituta; ita universi auctor, pro infinita sua sapientia, ipsam rerum naturam multiplici varietate instruere potuit, & quod hoc & non alio modo mundum condiderit, puro ejus beneplacito tribuendum. Quis sibi persuaderet & Solem, & Stellas, & Planetas terramque, alia magnitudine motu & distantia produci non potuisse & conservari, quam quæ nunc illis est assignata, ut tamen inter se & cum toto universo exactissimam servarent harmoniam? Idem tenendum de Mineralibus, Vegetabilibus, Anima-

libus, & quarumlibet rerum viribus operationibusq;. Quare inter causas & effectus naturales, hoc respectu, necessarius nexus non datur, nec ullus est effectus, qui aliis ex causis existere non potuisset. Quum itaq; mundus causam habeat liberam, adeoq; considerandus sit, ut alia res, quæ à liberè agentibus proficiuntur: manifestum evadit, ejus cognitionem quarerentibus, illam ingrediendam esse rationem, ad quam harum notitiam sectantes attendere solent. Quis autem adeo foret absurdus, ut plura de iis cognosci affirmaret, quam, quæ per vestigia observationis & experientiae inveniuntur? Quidquid vel publica vel privata industria geritur vel olim gestum est, in tantum exploratum habemus, in quantum vel ipsi adfuiimus, vel fidem sequimur aliorum. Sic imperiorum ortus, progressus, fata, variae mutationes, earumque causæ & quælibet humana negotia, nostram in cognitionem deveniunt. Quare non magis audiendi sunt, qui neglecta experientia, mundum suis speculationibus metiuntur, quam si quis de statu Chinæ vel Japoniæ, sine prævia fide historica, hic inceperit philo-

philosophari. Respiciamus modo ad ipsa scientiarum incrementa, & dubium omne evanesceat. Si consulantur Astronomi, quidquid de systemate mundano, syderum magnitudine ac motu norunt unquam, observationibus referunt acceptum. Speculæ observatoriæ, publicis sumtib; constructæ, necessitatem observationum Astronomicarum, ipsis quoque Principibus, perspectam fuisse ostendunt. Si Medicorum sententiam audire placeat, nec illi diversas à nobis partes tuebuntur. Nam de structura corporis humani, variarumque ejus partium figura, situ, motu, usibusque, se non alia scire fatebuntur, quam quæ, cultello Anatomico viam ad interiora Microcosmi parante, ipsi oculis usurparunt. Quod de temperamentorum varietate, morborum causis, symptomatis signis, & aliis huc pertinentibus, exploratum habent, pertinaci in observando diligentiae tribuendum. Nec aliter sentire convenit de illis, quæ ex triplici naturæ regno, in subsidium humanæ infirmitatis advocantur, crebra & multiplici observatione vim & usum Medicaminum confirmante. Quod si ulterius inquisiverimus, cur tantum incre-

increverint scientiæ, non minimam sibi vendicant partem ipsa observationum instrumenta, singulari nostri temporis felicitate, vel reperta, vel ad majorem perfectionem perducta. Astronomiam altius evexit ars poliendi vitra, non ita pridem adcuratius excoli cœpta; oculo quippe armato plures jam visuntur stellæ, noviqve planetæ, quos omnis ignoravit vetustas. Anatomiam ulterius provexit inventum Microscopiorum, eadem ex arte prognatum, quibus partes, ob parvitatem oculorum aciem fugientes, non tantum in animalibus, sed aliis quoque rebus, conspiciuntur. Geographiæ terminos amplificavit pyxis nautica, quæ per vastum Oceanum in remotissima loca iter ostendit, novosque aperuit orbis. Quid? quod Mathesis ac Chymia, ut instrumenta & subsidia sint consideranda, quibus ad ipsa naturæ arcana observando penetratur. Quædam casus & fortuna objecit, nonnulla quærendo invenit industria; eadem nihilominus est natura, quæ modo sponte, modo artificio pellecta, modo vi expugnata suos mortalibus aperit sinus. Sed ne nodum in scirpo quærere videamur, res in-

com-

compendium redigenda. Quidquid scientiæ genus humanum comparavit, de mundo, partibus ejus majoribus minoribusque, quidquid de stellis ac planetis, quidquid de globo terraqueo, de terris & maribus & quæ vel in se continent, vel sua exhibent facie, quidquid de humanæ industriæ effectis operibusque, & ut verbo dicam, quid rebus naturalibus & artificialibus unquam cognovit, id observatione & experientia duce, exploravit, didicit, percepit.

§. VI.

Ubi itaque homines ab illo abierunt fonte, ex quo omnis vera scientia de rebus ipsis, earumque attributis derivari debuit, suis indulserunt speculationibus, nec rerum indolem consuluerunt, sed fecundæ se commiserunt imaginationi, aliud fieri non potuit, quam ut loco genuinæ veritatis, varia opinionum monstra ac portenta ederent protruderentque. Quot hinc falsa & imaginaria principia, quot erroneæ conclusiones, quot denique figmen-
torum

torum cumuli exstiterunt? Hæc fabularum compellatione merito notanda esse arbitramur; narrationem quippe fictam fabulæ nomine venire notissimum est, quum vera alicujus facti explicatio historia nuncupetur. Per fabulas itaque Philosophorum intelligimus illas sententias, dogmata & placita, quæ vel de Deo, vel de mente humana, vel de mundo, sine prævia observatione, vel etiam erroneo, circa observationem, judicio, suo ingenio excogitarunt. Larga talium fabularum messis, tam apud antiquioris quam recentioris ævi Philosophos, invenitur. Quin ausim dicere maximam Historiæ Philosophicæ partem in illis recensendis esse occupatam. Quare Hercules foret labor, limites instituti nostri longe transgrediens, plenam horum figmentorum historiam describere, quod juncta plurium opera, abundanti libraria suppellectile instructorum, ægre præstari, viri docti dudum censuerunt. Nostrum itaque erit, nonnulla tantum exempla ex Philosophia veteri & nova adducere, unde de reliquis facile judicari potest.

§. VII.

Inter fabulas igitur Philosophorum, primo loco referuntur, varia de mente humana commenta. Quibus enim non suffecit cognitio virium ejus & operationum, quas plana ac perspicua observatione deprehendere licuit, ipsam illius essentiam determinaturi, in erroneas pro no lapsu inciderunt opiniones. Sic alii æthereæ, alii igneæ eam esse naturæ, vel ex subtili quadam materia constare dixerunt. Alii corporeum eidem involucrum addiderunt, vel saltem ejuscemodi, quod inter spiritum & corpus medium interjaceret, ut Paracellus & qui ejus placita sequuntur. Præexistentiam animarum docuit Plato, quam pluribus inde argumentis confirmare iudarunt discipuli ejus & commentatores; quæ sententia, cum aliis Platonice doctrinis, à quibusdam vetustorum Ecclesiæ Patrum adoptabatur. Stoici animam Divinitatis particulam in corpus, tanquam ergastulum, detrusam fuisse, opinabantur. Hoc dogma plurimas deinde fanaticas peperit opiniones, unde dissidia ac turbæ in Republica exstiterunt. Metempsychosia Pythagoricam putidum esse figmen-

mentum quis dubitaret? Inter ingenii lusus, crassum illum Scepticismum, quoque reponimus; alias quas quippe esse intellectus humani vires liquida omnino experientia ostendit. Nec aliter sentiendum de illorum paradoxo, qui liberam agendi facultatem homini denegarunt, eundem in machinam quandam ineptè transformaturi. Quid etenim clarius constare poterit, cuiuslibet in se descendentis, quam, quod non violentia, quodam intrinseca, vel interna necessitate, ad agendum propellatur; sed ipse spontaneo excitatus motu, eligat vel aversetur. An Harmonia illa præstabilita, quam acutissimus invenit Leibnitius, huc pertineat, aliis à partium studio alienis relinquimus æstimandum. In fabulantium quoque censum veniunt illi, qui modum unionis inter animam & corpus, ac mutui actionum passionumque commercii, immediatè inde profluentis, definire suscipiunt, quem nemini ad huc mortalium innotuisse præstantissimus quilibet Philosophorum ingenuè agnoscit.

§. VIII.

Quo major est Divinæ naturæ sublimitas, per infinitam suam excellentiam rationi finitæ
proxi

prorsus incomprehensibilis, eo facilius homines in transversum abripiuntur, ubi congenitæ imbecillitatis immemores, vel contra, vel ultra illa de Divinitate testimonia, naturali acumine sapiunt, quæ in rebus comparè creatis. Non attinet dicere de iis, qui cæca quadam malicia fascinati, existentiam supremi Numinis negarunt, quos & maxima, & minima in mundo, adclamante indelebili animi sensu, manifesti erroris arguere possunt. Duo alii principia, alterum bonum, malum alterum effinxerunt, originem mali Physici atque Moralis impio commento compendiosè explicaturi. Mundo Divinitatem quidam tribuerunt, quod placitum, Stoicorum Philosophiam, commendandæ aliòquin virtuti, severius intentam, præcipue enervavit. Nec ab hoc crimine immunes fuerunt Chineses, populus antiquæ scientiarum artiumque cultura celebratissimus, si vera sunt, quæ de Chorago, inter eos philosophantium, Confucio, idonei perhibet auctores. Hic error maxime capitalis, pluralitatem Deorum, a profanis hominibus assertam, potissimum insaniam produxit. Varia etenim Deorum nomina, res tantum naturales designarunt, quæ singula-

gulari polluerunt vi & efficacia, ad inservien-
 dum usibus humanis, ut eruditissimo, de Theo-
 logia Gent: opere, Gerhar. Joh. Vossius copio-
 se demonstravit. Hoc indubium habetur, qui
 ex paganis sagaciores videri voluerunt, hos ta-
 lia non aliter intellexisse, opinione de Heroum
 apotheosi vulgi tantum credulitati relicta. Evi-
 dens ergo est, opinionem de Divinitate Mundi,
 πολυθεότητα in quantum à Philosophis admittebatur
 protulisse. Quid itaque magis fabulosum esse
 potuit, quam ex rerum naturalium compage,
 numerosum Deorum ordinem efformare? Nam
 ex pluribus figmentis, quamvis ex uno proveni-
 ant falso principio, ubi mutuo se invicem nexu
 excipiunt, integram exurgere fabulam cuilibet
 notissimum est. Hæc luxurianti Poëtarum inge-
 nio postmodum incrustata, superstitionem ex
 ipsis Atheismi radicibus enatam, & in eun-
 dem ultimum resolvendam, in orbem protu-
 lit, qua misella mortalium natio, a vera Numi-
 nis cognitione avocabatur. Ubi homines otii
 & voluptatis cupidi, & in his felicitatem con-
 stituentes, curas atque negotia ipsi molestas
 habuerunt, ut Deum, quem sua ex indole æ-
 stima-

stimarunt, perfecte beatum esse obtinerent, con-
 tra manifestam veritatem, ex naturalibus civilibus-
 que phænomenis explendescentem providentiam,
 cum Epicuro impugnare non erubuerunt. Fa-
 bulosa quoque est eorum impietas, qui contra
 doctrinas de attributis & actionibus Divinis re-
 velatas, argumentis ex ratione desumptis insurge-
 re audent. Quomodo enim limitata ingenii vis
 exhauriet, quæ infinitæ competunt essentiæ?
 Neque convenit justitiam Divinam ex modo ne-
 gotiorum humanorum æstimare. Consideratio-
 nem finium in expendenda factorum justitia at-
 tendi debere certissimum est. Quis vero mor-
 talium omnes infiniti entis percipit fines? Hinc
 apparet, quid sentiendum sit de Petro Bælio, aliis
 que Atheismi atque Naturalismi propugnatori-
 bus, qui revelationem ideo rident, quia suis, per
 omnia, speculationibus consentanea non depre-
 hendatur.

§. IX.

DE mundo tantum non infinita prodierunt
 Philosophorum commenta & fabulæ. Stra-
 to Lampfacenus mundum ingenitum esse, & per se
 ipsum